

Senalem Abrincensem episcopum, qui me blandis uerbis admonet ut cum Theologis redeam in gratiam: utilius id multò mihi esse quàm tandiu domo abesse: nec mihi victoriam contra tam sacrosanctũ collegium esse speradam. Ad hæc, me nullam victoriam, nullòsque triumphos cogitare respondeo: tantum ut Regi obtemperarent, & articulos producerent. Ille rursus, nihil tale vnquam expectadũ esse affirmat: quòd Theologi non soleant scripto cõmonstrare quid censeant hæreticum, sed uerbis tantum indicare: quibus credi oporteat: neque enim ullum aliàs scribendi futurum finem. Ita tum discedimus. Postridie accedunt eius pedisequi, ut monitis domini sui parerem hortantur uehementèr. Assentior. Memineram enim quid eorum nõnulli, conscia (ut credibile est) factione, cõtra Frãcisum Regem Henrici huius patrem essent moliti, illorum impietatibus non usque adeo annuentem. Quid dicam, norunt ipsi. Miti quidẽ exilio tũc fuerunt clementer castigati: sed cum pietatis colore tam multa non desinant in Deum ipsum machinari, eos tandẽ malè disperdet. Robertum igitur Senalẽ accedo: scribere me uelle ad Theo